HUGO DE SANCTO VICTORE

Klosterneuburg 2. Hälfte 12. Jh. Seite 22v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=459
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et filio, sed eternum. Sicut quod dari dicitur cum veniat a patre et filio, quod est a patre et filio, quod eternum est et non temporale illi. Sic spiritus sanctus donum dei est, quia donum est patris et filii. Et cum datur ex tempore datur, et datur a patre et filio, et dari a patre et filio non aliud illi est quam cum datur esse a patre et filio, ex eo quod eternum est illi a patre et filio. Sic est in trinitate pater et filius et spiritus sanctus. Pater a se ipso. Filius a solo patre. Spiritus sanctus a patre et filio. Et quia una natura est, una substantia, una trinitas est in una natura et una substantia. Et cum mens una que dilecta sunt et sapientia in trinitate esse consideratur, tamen invenit et esse constituit. Cum vero quod idem tribus attendere cepit, unum ostendit. Quare tamen illa ineffabilia in deitate tres persone dicantur, et tamen in humanitate non dicantur.

xxv. Et surgit rursum ex adverso alia dubietas, et pulsat mentem profundo rerum caligantium. Et exit questio et interrogat se ipsam ratio, quare tamen illa que in deitate reperta sunt persone dicantur, cum in trinitate illa quam in semetipsa primum mens reperit tamen similia inventa sint, nec tamen tres personas in se mentem rationalem continere, aut tribus personis constare animum rationabilem consideratio patiatur. Et diligenter exquirit ratio quare ita sit, cum nec ita esse dubitare liceat, nec quomodo sit facile scribi possit. Et tamen videt aliquid ex eo quod totum non videt, nec ignorare permittitur quod non sinitur apprehendere. Videt enim quoniam quod in mente est, non vere id est quod est ipsa mens. Separantur enim a mente aliquando, et cum affuerint, recedunt, et redeunt iterum cum abierint, et variantur circa ipsam, nec vere est idem cum ipsa, sed quasi affectiones quedam et forme ipsius, quibus non fit hoc aliquid esse, sed adesse tamen ei quod est hoc aliquid. Itaque cum sit homo ipse persona, hec autem tamen affectiones quedam adherentes persone, et circa ipsam existentes inveniantur, non est omnino eis proprium esse persona, sed persone inesse tamen. Cum autem que in deo sunt aliud ab ipso esse non possint, nec quasi accidentia aut affectiones ex tempore mutabiles aut separabiles natura incommutabili essentie, et cui idem sit totum esse quod est, convenit tamen in eo vere predicantur, et tribus unum esse, et proprium idem esse, et eternum, et perfectum asseritur. Et dicuntur tamen tres persone, non tres essentie, quia natura in tribus est perfecta singulis, et tribus indivisa. Et ideo dicuntur persone singule, quia deus est, et unus deus tres, quia una deitas in tribus. Quare potentia patri attribuitur, sapientia filio, bonitas sive benignitas spiritui sancto. xxvi.

Et attribuitur patri potentia, et filio sapientia, et spiritui sancto bonitas, et discernuntur que communia sunt in quibus non dicitur quod non est, tamen quod est tacetur, ne credatur quod non est. Dicitur enim pater potens, et est pater potens, et non solus pater, quia potens est pater et filius et spiritus sanctus. Et non tres potentes, sed unus potens, quia potentia una in natura una et substantia una. Et est filius sapiens, sed non solus, quia sapiens est pater et filius et spiritus sanctus, et non tres sapientes sed unus sapiens, quia sapientia una in natura una et substantia una. Et dicitur spiritus sanctus benignus et bonus, et est quidem benignus et bonus spiritus sanctus, sed non solus spiritus sanctus benignus et bonus est, sed bonus est et benignus pater et filius et spiritus sanctus; nec tamen tres benigni et tres boni, sed unus benignus et unus bonus, quia benignitas una et bonitas una in natura una et substantia una. Sed cavit scriptura conscientie humane, ne erraret in deo suo similia hominibus que non erant in ipso arbitrans. Quoniam ab